

*officialibus pecunias debitas administrantibus.* — Limitatur tamen conclusio n. 62. posita, in ordine ad illos ministros, et officiales, qui principium, vel aliorum debitorum pecunias administrantes, ex dolo, vel ex negligentia, aut alia culpa in causa sunt, quod solutio debiti, difficilis, periculosa, aut onerosa evadat; hi enim debitum certum minoris emere minime possunt, ne ex dolo et malitia commodum reportent, contra c. *Ex litteris*. 2. *de Dolo et contum.* Secus foret, si ipsi difficilis aut periculosa solutionis causa non sint; tunc siquidem æque ac alii simile debitum minoris emere valent; cum non sint deterioris conditionis ac alii; prout post Lessium, cit. dubitat. 9, ad finem bene advertit Layman, loc. cit. n. 39, arg. reg. 61. jur. in 6. Ubi tamen etiam ad finem fatetur, hujusmodi debitorum emptiones in questoribus, aut pecuniæ administratoribus periculo non carere; quod amplius demonstrat Molina, disp. 33.

65. *Debitor, si est in causa difficilis solutionis, præfata debita minoris emere nequit.* — Limitatur secundo quoad ipsos debitores, qui culpabiliter in causa sunt, quod præstanda suo tempore solutio debiti cæteroquin liquidi, ac certi, non sine difficultate, periculo, aut expensis obtineri valeat; hi namque anticipata solutione minoris emere non possunt; Lessius, loc. cit., dubitat. 8, n. 70, et teste Haunoldo, loc. cit. n. 103, ferme omnes; tum quia per vulgaria juris, nemo delicto suo commodum reportare, nec cum alterius injuria ditari debet; tum quia tales possunt, ac tenentur facere, quod certi debiti solutio difficilis, aut periculosa non sit.

66. *Secus est, si difficultas solutionis, aliunde provenit.* — Si vero culpa penes debitorem non sit, quod debiti solutio præfixo futuro tempore difficilis et periculosa existat, sed difficultas vel periculum aliunde originem trahat; v. g. quia ob belli tempora timendum, ne bona debitoris pereant, sicque ipse tempore solutionis præstandæ, solvendo amplius non sit, tunc æque alii solutionem anticipando, minoris emere debitum potest: eo quod ratio n. 61. posita tam in illo, quam aliis militet; ubi autem eadem ratio est, eadem est legis dispositio, arg. l. *Illud*. 32. ff. ad *Leg. Aquil.* Accedit, quod ipse non sit deterioris conditionis, ac alii. Idem ob eandem rationem dicendum, si debitor anticipando solutionem a creditore desideratam, damnum emergens, aut lucrum cessans patiatur.

67. *Potest idem anticipata solutione minoris emere, si creditor liberaliter offerat.* — Imo Layman, loc. cit. post Molinam, n. 361. recte observat, quod si creditor partem debiti gratis ac liberaliter remittat, ut debitorem ad solutionem anticipandam alliciat, possit (secluso usurario affectu) hoc debitor acceptare, etsi nullum ex hujusmodi anticipata solutione debitori sequatur lucrum cessans, aut damnum emergens: quia juxta Glossam, in reg. 4. juris in 6. *Restituatur*, liberalis remissio debiti æquiparatur solutioni, arg. l. *Item liberatur*. 6. ff. *Quibus modis pigr. et hypot.* Et certe nulla videtur adesse culpa, si creditore anticipationem solutionis sollicitante debitor dicat: Bone vir, habe me excusatum, vi contractus nostri, primum post annum erit determinatum solutionis tempus, quo elapso obligationi meæ fideliter satisfaciam. E contra creditor reponat: Tempus solutionis nondum adesse, aut ignoro; verum tamen si modo solvas, tertiam debiti partem gratis tibi remittam; creditor vero respondeat: Ego hoc quidem non desidero; nihilominus quia sponte ac liberaliter ipsemet offers, cum gratiarum actione acceptabo et in nomine domini solutionem anticipabo.

68. *Controversia doctorum de emptione debitorum, quæ facile suo tempore obtineri possunt.* — Et quidem circa hæc dicta de venditione et emptione nominum doctores satis conveniunt. Verum maxime controvertunt, an nomina seu debita liquida, in quibus obtinendis nulla prorsus difficultas, molestia, aut periculum, nec lucrum aliquod cessans, vel damnum emergens intervenit, minori pretio ex hoc solo capite emi possint, quod modo de præsentibus detur pecunia pro debito, primum post aliquod tempus solvendo.

69. *Doctores affirmantes, talia debita licite minoris emi posse.* — Siquidem affirmativam acerrime defendunt doctores non minimæ notæ. Inter quos numeratur Sanchez, lib. I. consil. c. vii. dub. 17. n. 5. ubi hanc affirmativam sententiam probabiliorē judicat. Ejusdem opinionis sunt Navarrus, in *Manual.* c. xvii. n. 231; Cajetanus, vers. *Usura*, ad finem; Armilla, eod. vers. n. 50; Innocentius, in c. *in Civitate, de Usur.*; Sa, vers. *Debitum*. n. 21; Layman, lib. III. tract. IV. c. xvii. § 5, n. 32. ubi hanc sententiam saltem ut probabilem admittit; Toletus, Bellarminus, Wadingus, et alii.

70. *Fundamenta eorum.* — *Fundamentum*

eorum potissimum hoc est; quia juxta communem hominum æstimationem, qua pretia rerum taxantur, plus valet res præsens quam futura: seu, quod idem est, plus valet res ipsa, quam jus ad rem, l. *Minus*. 204. ff. *de Reg. jur.* ibi: «Minus est actionem habere, quam rem:» ergo quia emens debitum certum, futuro primum tempore solvendum, dat rem ipsam, debitum hujusmodi minori pretio emere potest. Præsertim (quod pro confirmatione addunt) quia res futura et absens, quando abest, inutilis et quasi sterilis est etiam illi, qui jus ad illam habet: cum e contra res præsens continuo utilis sit habenti. Quibus non obstantibus:

71. *Doctores negativam tenentes.* — Resp. III. Si non moraliter certa, saltem longe probabilior videtur sententia negativa, videlicet, quod debita certa minori pretio emi non possint, si in iis suo tempore obtinendis penitus nulla difficultas, vel periculum, neque lucrum cessans aut damnum emergens occurrat. Ita Sylvester, vers. *Usura*. 2. q. 14; Lessius, lib. II. cap. xxi. dubitat. 8, citans communem; Layman, loc. cit.; Valent., tom. III. disp. 5, q. 10, p. 2; Petrus Navarrus, lib. III. cap. ii. n. 162; Molin., disp. 361; Sotus, Lopez, Gabriel, Haunoldus, tract. X. c. i. contr. 14. n. 104; Sannig, h. t. c. iii. n. 2.

72. *Ratio eorum.* — Probatur conclusio. Juxta omnes etiam adversarios illicita atque injusta est emptio venditio, quando non servatur æqualitas inter pretium et mercem, seu rem, quæ venditur ac emitur, arg. l. *Si servum*. 33. ff. ad *Leg. Aquilam*, et l. *LXIII*. ff. ad *Reg. Fulcid.* atqui si debitum liquidum v. g. mille florenorum, in quo obtinendo nulla est difficultas vel periculum, etc. emitur minori pretio, v. g. nongentis, non servatur æqualitas; ergo. Minor patet: quia debitum liquidum mille florenorum sine difficultate et periculo, etc. obtinendum revera valet mille florenis; consequenter si pro eo minus datur, non servatur æqualitas inter pretium et mercem. Probatur antecedens. Si debitum liquidum mille florenorum minus valeret quam mille, tunc ideo, quia ejus solutio statim haberi nequit; alia namque ratio in casu nostro assignari non potest; atque sola dilatio valore non minuit; alias enim etiam in mutuo creditor aliquid ultra sortem accipere posset; cum æque in hoc, ac in illo dilatio solutionis debiti, consequenter inæqualitas inter datum et acceptum haberetur;

hoc autem est damnatum ab Innocentio XI. qui inter alias etiam hanc n. 41. propositionem damnavit; «Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.»

73. *Confirmatio. Ob dilatam solutionem non licet pluri vendere.* — Confirmatur. Qui rem pluri quam valet, vendit præcise ob dilationem solutionis, seu quia emptor non statim ac in continenti solvit, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem textu claro c. *Consuluit*. 10. et c. *In civitate*. 6. *de Usuris*. ergo etiam, qui rem, debitum, v. g. liquidum, minori pretio quam valet, emit præcise ob dilationem solutionis, seu quia non statim solvitur, aut traditur, contra justitiam peccat, et ad restitutionem tenetur: cum non sit major ratio de uno quam de altero, uti consideranti patet.

74. *Respondetur ad fundamentum adversariorum. Actio ad rem quando idem sit ac res ipsa.* — Ad fundamentum adversariorum, n. 70. positum, respondetur verum esse, quod tam juxta communem hominum æstimationem, quam juxta citatam legem 204. ff. *de Reg. jur.* pluris æstimatur res ipsa, quam jus ad rem, non quidem quasi vero absolute loquendo, res pluri valeret, quam jus ad rem; sed quia in consequenda re, ad quam quis jus habet, ordinarie occurrunt difficultates et pericula, lucrumve cessans, aut damnum emergens. Quæ si cuncta absunt, par utriusque valor est, ut recte docent Bartolus, in l. *Per diversas*, 22. c. *Mandati*. et Baldus, in l. II. c. *Ut lite pendente*. arg. l. *Qui*. 15. ff. *de Reg. jur.* ibi: «Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.» Concordant, c. vi. et x. *de Usur.*

75. *Responsio ad confirmationem adversariorum.* — Ad confirmationem fundamenti negatur suppositum: quia non versatur in casu, ubi emptor debiti cum pecunia præsentis negotiaretur, vel alio modo lucrum faceret; hoc enim in casu ob lucrum cessans, debitum etiam liquidum minori pretio emi posse, et nos fatemur: sed loquimur de casu, ubi pecunia sine omni negotiatione in cista, vel alibi otiosa remanens emptori non magis ac absens, ad quam jus habet, utilis foret. In quo casu, plane non apparet, cur una plus altera valeret, ut patet ex dictis.

76. *Observantia practica.* — Cæterum fieri oportet, in praxi rarissime contingere, quod in consequendo debite etiam certo non aliqua saltem adsit difficultas, molestia, periculum, lucrum cessans, vel damnum emergens; consequenter a potiori et quasi ordinarie quodcumque debitum minoris, quam pecunia ipsa præsens æstimari, sicque minori pretio emi valet.

77. *Hæreditas nondum delata certi testatoris adhuc viventis vendi nequit.* — Quæritur IV. An, et qualis hæreditas vendi et emi possit? Resp. I. hæreditas nondum delata alicujus certi testatoris adhuc viventis vendi nec valide nec licite potest; nisi testator ipse consentiat. Ita expresse statutum habetur l. I. ff. de *Hæreditat. vel action. vend.* ubi dicitur: « Si hæreditas venierit ejus, qui vivit, nihil esse actum. » idem l. d. *Questione 30, c. de Pactis*: ubi etiam ratio redditur; quia nempe hujusmodi emptio venditio est « contra bonos mores, ac plena tristissimi et periculosi eventus, » utpote inducens votum captandæ mortis. Concordat, l. XXIX, § 2, ff. de *Donat.*, l. LXI, ff. de *V. O.*

78. *Nisi testator ipse consentiat.* — Dicitur autem notanter, « nisi testator consenserit: » quia licita et valida est hæreditatis venditio, « si ipse, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam ei accommodaverit, et in ea usque ad extremum vitæ suæ spiritum perseveraverit, » ut expresse habetur cit. l. XXX. de *Pactis*. cum sic cesset, et sublata sit acerbissima spes, testatori alias gravis ac injuriosa; ut ibidem rationem addendo lex loquitur. Dicitur insuper « testatoris certi. » Nam:

79. *Hæreditas incerta testatoris cujuscunque etiam adhuc viventis rite venditur.* — Resp. II. Hæreditas nondum delata incerta cujuscunque, etiam adhuc viventis testatoris in communi, licite ac valide emi vendique potest, dicendo v. g. Vendo tibi omne id, quod aliquando a quocunque tandem testatore, hæreditate acquisiturus sum. Lopez, p. 1, const. 35. def. 17; Molina, disp. 140, n. 3, ad finem, et communis doctorum arg. l. *Ea vero*. 3. § 2, et l. *Si societatem*. 73, ff. *Pro socio*. Ratio est, quia in hoc casu cessat principalis ratio prohibitionis; cum propter incertitudinem hæreditatis, de nullius morte spes præmatura bonis moribus repugnans et votum captandæ mortis inducens concipiatur, uti communiter notant doctores.

80. *Item hæreditas incerta testatoris, qui est,*

*vel creditur mortuus, sub conditione: Si me instituit hæredem.* — Resp. III. Insuper hæreditas incerta testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus, vendi potest, « si qua sit, » id est, sub hac conditione: vendo tibi hæreditatem mei fratris v. g. qui est, vel dicitur defunctus: si me instituit hæredem, quod ignoro. Ita communis ob textum expressum l. *Nam hoc*. ff. de *Hæreditat. et Action. vend.* ubi Ulpianus « hoc modo, inquit admittitur esse venditionem: si qua sit hæreditas, est tibi empta, et qua si spes hæreditatis: ipsum enim incertum rei veneat, ut in retibus. »

81. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, conclusionem contrariam esse l. *Cum hæreditatem*. 7. ff. eod. ubi sic statuitur: « Cum hæreditatem aliquis vendidit, esse debeat hæreditas, ut sit emptio; nec erim alea emitur ut in venatione, et similibus, sed res quæ si non est, non contrahitur emptio. » Respondetur enim legem hanc loqui de hæreditate nondum delata certi alicujus testatoris adhuc viventis; e contra conclusionem nostram et legem 11. Nam hoc ibidem citatum, loqui de hæreditate testatoris, qui jam est, vel creditur defunctus. Cur autem hujus, et non illius venditio valeat, cum tamen utrobique incertitudo hæreditatis, et quasi alea contra prohibitionem citatæ l. VII. vendi videatur, ratio præter jam dictam n. præced. est; quia dum venditur hæreditas testatoris adhuc viventis, penitus incertum, in futurum, et ut alea venditur, hoc ipso, quod testator vivus usque ad ultimum halitum voluntatem suam mutare, et hæreditatem revocare valeat, « ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitæ supremæ halitum, » l. IV. de *Adim. legat.* E contra vero, dum testatoris jam defuncti hæreditas, si quæ est, juxta l. XI, ff. eod. venditur, id quod præsens est, venditur, hæreditas nempe, quæ vel jam est actu certo delata et posita, vel certe non amplius deferretur, aut ponetur, utpote testatore jam mortuo. Et ita evitatur discordantia inter dictam l. VII, ac 11, ff. de *Hæreditat. vendit.*

82. *Hæreditas delata testatoris jam defuncti libere vendi potest.* — Resp. IV. Hæreditas post mortem testatoris, hæredi jam delata, pro libitu vendi et emi potest. Communis ac certa, l. II. et toto fere titulo. ff. de *Hæreditat. et action. vendition.* Ratio est, quia cum suæ quisque rei moderator, atque arbiter existat; l. *In re mandata*. 21. c. *Mandati*, de

ea pro libitu disponere potest: nisi a lege specialiter prohibeatur.

83. *Hæreditas delata quid sit?* — Porro « hæreditas delata » dicitur omnis illa, quam quis remoto quolibet impedimento adire et cognoscere potest. Baldus, in l. *Potuit*. 5. c. de *Jure deliber.* Delatum enim universaliter dicitur illud, quod adeundo statim consequi possumus. Schardius, § *Delatum*.

84. *Nomine hæreditatis venditæ veniunt omnia, quæ ad testatorem pertinebant, etiam jura et actiones activæ.* — Quæritur V. Quænam nomine hæreditatis venditæ veniant, ita ut ad emptorem transeant? Resp. I. Omnes et singulæ res, jura et commoda, sive parva, sive magna defuncti, quæ hæres titulo hæreditatis acquisivit, vel acquirere potuisset: item omnes actiones activæ utiles ad aliquid prosequendum et acquirendum veniunt nomine hæreditatis, et ad emptorem transeunt. Communis textu Claro, l. *Qui filii familias*. 14. ff. de *Hæreditat. vendit.* ibi: « Si hæreditas veneat, venditor res hæreditarias tradere debet. Quanta autem hæreditas sit, nihil interest. » Concordat, l. *Venditor*. 21. ff. eod. et l. V. c. eod. ibid: « Emptor hæreditatis actionibus mandati eo jure uti debet, quo is, cujus persona fungitur; quamvis utilis adversus hæreditarios debitores emptori tribui placuit. »

85. *Ponitur limitatio.* — Limitatur conclusio in casu, quo emptor hæredi quantitatis hæreditariæ ignaro inique ac dolose suadet exiguam, vel minorem esse hæreditatem, ac creditur; tunc enim venditor ad tradendam totam hæreditatem non tenetur, l. IV. c. de *Hæreditat. vend.* Sicut e contra, si hæres mendaciter majorem asserat hæreditatem ac est, vel aliqua adesse affirmat, quæ non inveniuntur, præstare debet quod affirmavit, arg. l. XV. ff. eod.

86. *Hæres tenetur emptori restituere, si quid de hæreditate dempsit.* — Resp. II. Si hæres defuncti aliquid de hæreditate vendidit, donavit, dolo, vel culpa lata destruxit, amisit, ut causa fuit, quod ad hæreditatem non venerit, tenetur præstare, seu recompensare emptori hæreditatis. Ita clare statutum habetur, l. II. § *Sed et si*. 3. ff. de *Hæreditat. et action. vend.* Ratio est, quia, qui emit universitatem hæreditatis, hoc ipso emit, et acquirit jus ad omne illud, quidquid ab instanti mortis testatoris ad hæreditatem pertinet; consequenter quicumque hoc jus emptoris injuste violat, illud resarcire debet.

87. *Actiones passivæ contra testatorem, non transeunt ad emptorem hæreditatis, sed manent penes hæredem.* — Resp. III. Actiones passivæ, id est illæ quas alii contra defunctum habebant; item actiones legatarie, ac fidei commissariæ non veniunt nomine hæreditatis venditæ, nec ad emptorem transeunt, sed manent apud hæredem, non obstante, quod hæreditatem vendiderit; ut proin contra hunc, non vero contra emptorem hæreditatis agere debeant, quicumque de bonis defuncti aliquid prætereant habent. Castro Palao, de *Justit. commut.* disp. 5. punct. 18, n. 2. et communis aliorum, arg. l. *Actio juris*. 2. c. de *Hæredit. vend.* ibi: « Actio juris postulat, ut creditoribus hæreditariis, et legatariis, seu fideicommissariis te (hæredem nempe) convenire volentibus, tu respondeas. » Nisi fors ipsemet emptor, creditoribus ad id consentientibus, sponte respondere et satisfacere velit, arg. cit., l. II, c. de *Hæredit. vend.* Haunold, tract. XX, c. I, controv. 14. n. 92. Item nisi fiscus hæreditatem sibi debitam vendat. « Non æs alienum, hæreditate, nomine fisci vendita, ad onus emptoris honorum pertinere, nec fiscum creditoribus hæreditariis respondere, certum. et absolutum est, » inquit l. I. c. eod.

88. *Potest tamen hæres ante traditam emptori hæreditatem, tantum detrachere, quantum pro legatis, et debitis testatoris requiritur.* — Illud tamen cuius venditori hæreditati merito concedunt jura, quod ante traditionem hæreditatis venditæ, ab ea detrachere possit legata fideicommissa, et alia onera, necnon omnia debita seu æs alienum, iisque satisfacere creditoribus, ac aliis justam prætensionem habentibus. Item quod, si jam tradita emptori hæreditate, a creditoribus defuncti conveniatur, atque satisfacere compellatur, possit emptorem hæreditatis, actione negotiorum gestorum convenire, ut tantum ei restituat, quantum ipse solvit creditoribus defuncti, arg. l. II. de *Hæredit. vend.* Ratio est, quia nomine hæreditatis plus non intelligitur, quam quod deductis legatis, ære alieno, et quibusvis debitis post mortem defuncti adhuc superest, arg. l. *Subsignatum* 39. ff. de *V. S.* Consequenter nec emptor hæreditatis plus accipere potest, vel si jam accepit, illud iterum tanquam rem alienam reddere tenetur.